

Raptores cohibens, reddere rapta jubens.
 De dubie dictis ne cures nectere litem,
 Sed mens dicentis inspicienda magis.
 Nil firmare majus tibi quam jurare ratum sit,
 Vim sacramenti debet habere fides.
 De causa veri quoties tractatur apud te,
 Est servanda fides, religioque tibi.
 Nam licet ipse Deum nolis jurando vocare,
 Verba tamen verax ad tua testis adest.
 Si minus hoc etiam, nec sic fuerit, tamen æquum,
 Ut præter verum justitiamque geras.
 Si salvare fidem nequeas, nisi falsa loquendo.
 Sic quoque (7) salvandam dicimus esse fidem.
 Excusare magis debes, quam fallere dici,
 Dum constat redimi falsa loquendo fidem.
 Nam cum causa subest quæ digna silentia poscit,
 Justus secretum desepelire cavet ;
 Quippe tacenda tacet, dici debentia dicit :
 Sic sibi congrua pax, sic sibi tuta quies
 Dumque alios vincunt, alii vincuntur ab illo,
 Et solida regnans mentis in arce sedet.
 Hæc igitur vigili consecrans sedulitate,
 Supremum poteris lætus adire diem.
 Mundi mœsta videns hilaris, labentia firmus,
 Turbida tranquillus, ultima non metuens.
De mensuris singularum virtutum.
 His igitur formis virtutes commemoratas,
 Perfectum constat reddere posse virum,
 1004 Si studeat certo vivendi sine tenere
 Singula quem virtus debet habere modum.

DE PRUDENTIA.

Jam si transiliat proprios prudentia fines ;
 Fies suspectæ calliditatis homo.
 Diceris hinc secretorum scrutator avarus,
 Quique nimis noxas discere quasque velis.
 Attonitus, semper meditans et suspiciosus,
 Invisa cunctis aspiciere nota ;
 Cujus et alta nimis versutia suspiciosum,
 Audet ut admissum quodlibet inveniat,
 Protense digito plenus monstraberis astu,
 Tergiversator duplicitate potens.
 Invertens verum, debellans simplicitatem,
 Crimina commentans artificante dolo.
 Denique conquiret tam detestabile nomen,
 Ut malus a tota gente voceris homo.

(7) Forte leg. Cautè accipe et *et sic neque.*

A His igitur maculis prudentia jure vocatur,
 Si non legitimum norit habere modum.
 Est autem modus hic libra meditatus utraque,
 Ut nil versutum, nil in ea sit hebes.

DE MAGNANIMITATE.

Magnanimum si te nimium fiducia tollat,
 Redditur inflatus, turbidus atque minax ;
 Neglectoque modo quo se composuit honestas,
 In nimis altum se voce manuque rapit.
 Sub rectisque superciliis, truculentus agendo,
 Pacem perturbans, hinc ferit, inde fugat.
 Sed licet impugnet perrupto quælibet ausu,
 Expugnare tamen non sibi cuncta licet.
 Incurret quædam, quorum nimis aspera moles
 Illius vires in graviore premat.
 Scilicet et durum finem miserandus obibit,
 Vel lugubris illi fama superstes erit.
 Ergo magnanimum (8) cordis mensura tenetur.
 Nec nimis audendo, nec metuendo nimis

DE SOBRIETATE

Sobrietas vero caveat nec parca nimis sit,
 Nec timidam stricto contrahat ungue manum.
 Ut speculum membris ipsis adhibendo, quibusque,
 Circumcisa nimis feteat integritas.
 Sobrietas igitur medio se calle coercens,
 Vitet luxuriam, vitet avaritiam.
 Ne vel luxuries dissolvat prodiga quemquam,
 Vel per avaritiam sordida vita notet,

DE JUSTITIA.

Justitiæ virtus vitis obsessa duobus,
 Inter mollitiem sævitiamque sedet.
 C Cura sit ergo vigil, ne vel ferus esse timendo,
 Indulgeas nimium prava licere sinas.
 Vel dum ferventi studio delicta recidis,
 Nulli curantem parcere nullus amet.
 Sed tunc justitiæ censura videbitur apta,
 Et tali fiet regula recta modo.
 Si disciplinam nec lenta remissio vilem,
 Nec ferus invisam fecerit esse rigor.
 Qui vult ergo suam digne componere vitam.
 Ut sibi vel multis utilis esse queat,
 Hæc præscriptarum virtutum formula cordi
 Adsit discreta lege tenenda sibi.
 Ut cum personis causas, loca, tempora pensans,
 Curet ad hæc aptis se variare modis.

(8) Forte *magnanimi.*

IN TRACTATUM SEQUENTEM MONITUM 1005-1000

Licet hunc Tractatum in optimo codice manuscripto monasterii B Mariæ de Lyra in provincia Normanniæ sexcentorum circiter annorum sub nota E. invenerimus medium inter plura Venerabilis Hildeberti indubitata opera, et eadem, ut apparet, manu exaratum, indeque illum ut genuinum illius opusculum censere potuerimus, unica tamen lineola ipsi in præfato manuscripto præfixa, quominus illum publicæ luci daremus, non nihil remorata est. Illa scilicet ipsa est quæ ad caput Elucidarii sancti Anselmi inter Opera ejus a nostro Gerberonio plures ante annos edita sic legitur : « Sæpius rogatus a condiscipulis meis quædam quæ-tiunculas enodare, importunitati illorum non fuit facultas... » Sed, cum in præfato manuscripto Lyrano sit illa lineola per aliam lineam superductam delata, illam ab aliquo forte amanuensi Elucidarium S. Anselmi describere parato, suamque statim mutante consi-

lium appositam, et ab ipsomet expunctam censuimus ut hunc Hildeberti Tractatum, quem ad manum habebat, eidem membranæ demandaret. Nostrum igitur ad hunc scrupulum, ut minus legitimum, libenter excussimus, nec talem putandum qui deberet obsistere quominus eximium hunc tractatum et Hildebertinum censeremus, et dignum qui ad publicum commodum prælo committeretur, si modo aliunde id posset evinci.

Hoc autem plurimis e capitibus non infeliciter nos putavimus assecutos. Et primo quidem e collatione hujus theologi Tractatus cum illo S. Anselmi Eluci tario, quod præfatus Gierheronius (qui eum e duobus manuscriptis Anglicanis, altero scilicet e bibliothecæ Mortoniensis Oxonii rotulo, et altero collegii Sancti Benedicti Cantabrigiensi, desumpserat) ut sancto Anselmo indignum, et æniam, ut ait ipse, refertum in Appendicem rejecit, cum e contra noster his Hildeberti Tractatus optimam ubique, solidam et orthodoxam contineat doctrinam. Secundo, id evincitur e conformitate doctrinæ in hoc Theologico Tractatu contentæ, cum ea quæ pluribus in sermonibus ejusdem Hildeberti passim legitur, et quidem adeo similiter enuntiata, ut sæpius totidem quasi verbis in utrisque explicetur, et iisdem argumentis et auctoritatibus fulciatur. Sic, verbi gratia, hujus Tractatus cap. 20, dum de dæmonibus loquitur: « Quia, inquit, contra Creatorem suum in tantum superbiit, dejectus est in istum caliginosum aerem..... Non est ei concessum habitare in cælo, quod est clara patria; nec in terra, ne homines nimis infestaret, sed in aere caliginoso, qui est ei carcer usque ad tempus judicii. Tunc enim detrudetur in barathrum inferni, secundum illud: Ite, maledicti, in ignem æternum, qui paratus est diabolo et angelis ejus. » Quod idem et totidem pene verbis asserit sermone secundo de Ascensione Domini, quem non solum e manuscripto Victorino, sed et ex Lyrano, e quo et hunc Tractatum, eruimus, ubi sic habetur: « De cælo empyreo lapsus est in hunc aerem caliginosum, qui tanquam carcer depulatus est ei usque in finem temporum, quando mittetur in ignem æternum, qui præparatus est ipsi et angelis ejus. » Eandem autem de dæmonibus doctrinam tradit, et iisdem pene verbis explicat, et auctoritatibus probat sermone 1 in Nativitate Domini, sermone 1 de Purificatione B. Mariæ, sermone de militia Christiana ad monachos, et alibi passim.

Similiter, cum agit Tractatus hujus cap. 3 de immensitate Dei, dicit eam « ubique sine loco veraciter esse, sicut sempiternus est sine tempore » Sic Sermone 8, de mysterio Incarnationis, « Dei substantiam, quæ Deus est, dicit esse sine tempore sempiternam, sine loco ubique totam, sine sui mutatione omnia mutabilia facientem. Idem repitit, et iisdem verbis sermone de Christi in nos beneficiis, et pluribus aliis.

Idem, nisi nimii videremur, dicere possemus de immutabilitate Dei, et cæteris ejus attributis, de quibus Hildebertus in sermonibus suis eodem modo, et iisdem ut plurimum terminis loquitur ac in hoc Tractatu; unde et conjicere posse putavimus hoc opusculum veram et genuinam illius esse lucubrationem.

Nec igitur omnino temere inde possemus conjicere theologiæ scholasticæ illius ævi auctores non modicum ab hoc Tractatu subsidium, sive illorum doctrinæ substantia spectetur, sive etiam ordo attendatur, desumere potuisse. Et vel ipsum etiam scholasticæ theologiæ quasi primipilum, Petrum dico Lombardum Magistri Sententiarum nomine merito decoratum, cum pluribus annis vixerit Hildeberto posterior, utpote qui anno tantum 1164 obierit, Hildebertus vero anno circiter 1132 e vivis excesserit, triginta scilicet annis et amplius anto præfatum Lombardum.

1007-1008 Cum vero idem Petrus Lombardus pro totius suæ Theologiæ quasi fundamento asserat res quasdam esse quibus fruendum, alias quibus utendum, et ad id probandum eandem beati Augustini ex lib. 1 *De doctrina Christiana*, cap. 4, auctoritatem adducat, quam in hoc Tractatu totidem verbis citat Hildebertus, non immerito conjici potest id Lombardum ex Hildeberti Tractatu desumpsisse.

Sed nec ipsum Robertum Pullum cardinalem, cui nonnulli scholasticæ theologiæ primatum etiam ascribunt, ambigerem, si ratio temporis habeatur, aliquatenus ex Hildeberti nostri studiis profecisse. Ipse enim Hildebertus scholiarcha Genomanensis est institutus circa annum 1087, post annos circiter octo Cluniaci sub sancto Hugone exactos. Potuit autem Hildebertus hunc Tractatum elaborasse Cluniaci circa annum 1084, quo tempore Pullus, qui academiam Oxoniensem non restituisse fertur nisi an 1133, vix annos adolescentiæ attigerat, cum non nisi anno 1150 obierit, et Petrus ipse Lombardus, qui non nisi anno 1164 e vivis excessit, pueriles tantum, aut saltem primos adolescentiæ transigeret annos. Si igitur temporum rationem spectemus, probabile est et Pullum et Lombardum ex Hildeberti se antiquioris studiis potius profecisse, quam Hildebertum de illorum se juniorum lucubrationibus quidquam desumpsisse. Sicut et ipse plura de sancti Anselmi senioris sui didicisse potuit, ut revera ipse testatur epistola 13 lib. II, alius 22, ubi illi gratias agit quod ipsi suum de processione Spiritus sancti librum benigne transmisisset. Quod autem Hildebertus hunc Tractatum adhuc juvenis, id est, circa vicesimum quintum aut amplius annum ediderit, id conjici potest e terminis quibus initio hujus Tractatus utilitur, cum ait se non nisi *cum modestia et timore* de fide et spe sua rationem redditurum; quod non doctorem quasi e cathedra docentem, sed juvenem ingenuum potius condiscipulos, quibuscum agebat, alloquentem maxime decebat.

Quod autem de Petro Lombardo magistro Sententiarum diximus, tantum abest ut inde debite sacris celeberrimi antistitis laboribus honori quidquam detrahi velimus, quin potius nobis ejus memoria summæ semper venerationi fuerit, et diligentia commendanda; utpote qui quidquid ad illustrandam sacræ theologiæ doctrinam conducere poterat, tam sedulo, tam luculenter undecunque, publicam ad utilitatem, colligere, et in ordinem redigere curaverit, nec indignum eruditione et percelebri sua fama forte putaverit, ut ab Hildeberto se antiquiore, ac theologo jam tunc inter litteratos nominatissimo, plura suis et discipulorum suorum studiis commodaverit.

Attendat interea solers lector scholasticos illius ævi theologos, non aliam in suis assertionibus observasse methodum, quam quæ in hoc Hildeberti Tractatu Theologo deprehenditur, licet diversa

plerumque sint usi terminis. Sicut enim in exponenda doctrina sua, ut propositiones suas probet, nititur sacræ Scripturæ testimoniis, et sanctorum Patrum et Ecclesiæ doctorum auctoritatibus; deinde quæ possent illi objici quolibet in articulo seu capite, ipse refert sub verbis, *Quæritur, Solet quæri, Opponitur*, et similibus, quæ deinde docte omnino et solide solvere non omittit: sic theologi scholastici, postquam suas assertiones exposuerunt et probaverunt, sibi ipsis ad majorem discussionem et intelligentiam objectiones suscitant sub hac epigraphe: *Objicies*, quas postea ad sua principia reducunt et diluunt.

Porro, cum suam doctrinam Hildebertus sanctorum Patrum auctoritatibus præcipue fulciat, nec tamen illas exacte de verbo ad verbum semper retulerit, nos illas pro majori parte ad Lectoris commodum, quanta potuimus diligentia, perquisivimus et notavimus. Cum vero præcipue nitatur auctoritatibus B. Augustini, qui, ut ipse ait in lib. *De conflictu carnis et animæ*, illi familiarior erat, illis præcipue investigandis, non sine lædioso labore, incubuimus, ita tamen ut, cum ipsamet verba difficilius fuerit invenire, alia ejusdem sanctissimi doctoris, eundem sensum exhibentia, ad marginem suppleverimus. Aliorum vero Patrum sententias cum rarius citaverit, illarum investigationem curiosi Lectoris diligentia dimisimus, existimantes Hildebertum dignum esse cui in cæteris indubitata fides adhibeatur, cum eum adeo fidelem in innumeris pene S. Augustini citationibus animadverterimus, ut in nulla prorsus sententia a sanctissimi doctoris mente discesserit, præter eam qua hujus Tractatus capite vicesimo, angelos sine virtute et vitio creatos opinatus est; quod ut alienum a S. Augustini doctrina notare suo loco non omisimus.

Cæterum, licet ad adjudicandum Hildeberto hunc Tractatum, alia et plura a prædictis argumenta afferre potuissemus, non ii tamen sumus qui eruditi Lectoris judicium ad nostram velimus cogere sententiam; quam non ut absolute certam, sed ut e relatis conjecturis valde probabilem censuimus, non ingratum interim illi fore sperantes, quod eximium hoc et antiquum theologiæ monumentum, inter alia indubitata venerabilis Hildeberti opuscula medium repertum, ac e blattis et lineis a nobis non modico labore vindicatum, utilitati publicæ dicaverimus.

VEN. HILDEBERTI

CENOMANENSIS EPISCOPI

TRACTATUS THEOLOGICUS

Æ ms. Lyano 600 circiter annorum. Nondum editus.

PROLOGUS.

1000-1010 De fide et spe quæ in nobis est *omni poscenti reddere rationem*, ut ait Petrus in epistola sua, *parati esse debemus cum modestia et timore* (II Petr. III, 15). Itaque ut pariter serventur modestia in timore, et timor in assertionem, *profanas verborum novitates*, ut Apostolus præcipit, *vitemus* (I Tim. VI, 20), et in nullam partem præcipiti assertionem declinemus. Melius est enim non loqui magna, ut sine periculo non erretur, quam definire contraria; sed utcuque possumus, auctoritatum vestigia [*f. vestigiis*] initemur, et ubi certa deest auctoritas; his potissimum assentire studeamus, qui maxime auctoribus accedunt, et non de sensu nostro præsumentes, Scripturas ex pietate interpretemur. Scriptura enim, ut ait beatus Augustinus (7*), *altitudine superbos irridet, profunditate attentos tenet, magnos veritate, parvos instruit affabilitate*. Si quæ igitur obscura nobis occurrerint, sit nostri propositi ad auctoritates confugere, deinde quid nostri temporis sapientes inde sentiant, in medium conferre, et cur potius hos quam illos imitari placeat; et ratione, et auctoritate simul concurrentibus, pro facultate nostra in lucem ponere.

CAPUT PRIMUM.

De fide.

Et quoniam fide tanquam mensura omnia mode-

(8*) *Lib. v De Gen. ad litteram, cap. 3, num. 8.*

A randa sunt, ne quid ut superfluum diffluat, dicente Apostolo: « Unicuique sicut Deus divisit mensuram fidei (Rom. XII, 5), » de ea imprimis est videndum, quid sit, et quas partes habeat. « Fides, » ut ait Apostolus, est « sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium (Hebr. XI, 1). » Substantia rerum sperandarum, quia in nobis subsistunt. Speranda vocat bona illa æterna quæ desideramus, ut immortalitas, etc. quæ in nobis per fidem jam subsistunt, in futuro per experientiam [*f. supp. possidebimus*]. Argumentum enim apparentium, id est probatio; quia si quis dubitat inde posse aliquando probari humana ratione; ut si quis quærat: Unde scis partum Virginis, futurum etiam statum electorum? non habeo aliud argumentum, nisi: Credo indubitanter quod propheta, et alii, qui per Spiritum sanctum sunt locuti, inde dixerunt; quod Deus illos nullemodo falleret, cum in eis loqueretur, et miracula faceret; et cum ex maxima parte quæ dixerunt videam impleta, cætera non dubito complenda. Est igitur fides sperandarum substantia rerum, quantum ad nos; argumentum non apparentium, quantum ad alios. Sed hac definitione magis ostenditur effectus fidei, quam quod sit ipsa, nec etiam omnes partes fidei comprehendit, cum speranda non præterita, sed tantum futura contineat. Quare sic definire potest fides: Est voluntaria certitudo absentium supra